Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

eius audiunt et oves eius vocat
nominatim et educit eas et cum
proprias oves emiserit ante eas pa-
dit: et oves illi sequuntur quia sciunt
vocem eius Alienum autem non sequun-
tur sed fugiunt ab eo: quia non no
uerunt vocem alienorum. Hoc proverbium
dixit eis dominus. Illi autem non
cognouerunt quid loqueretur eis
Dixit ergo eis iterum dominus Amen
amen dico vobis: quia ego sum ostium
ouium. Omnes quotquot venerunt
fures sunt et latrones: sed non
audierunt eos oves. Ego sum ostium
per me si quis introierit saluabitur:
et ingredietur et egredietur: et pas-
cua inuenietur. Fur non venit nisi
ut furetur et mactet et perdat. Ego
veni ut vitam habeant et habundan-
tius habeant. Ego sum pastor bonus
Bonus pastor animam suam dat pro
ouibus suis. Mercenarius autem
et qui non est pastor cuius non sunt
oves proprie. Videt lupum venientem
et dimittit oves et fugit: et lupus
rapit et dispergit oves. Mercenarius
autem fugit: quia mercenarius est et non pertinet ad eum de
ouibus. Ego sum pastor bonus
et cognosco meas: et cognoscunt
me meae Sicut nouit me pater
et ego agnosco patrem: et animam
meam pono pro ouibus meis. Et alia
ab oves habeo quae non sunt ex hoc
ouili: et illas oportet me adducere
et vocem meam audient: et fiet vnum
ouile et vnus pastor. Propterea
me pater diligit: quia ego pono
animam meam: ut iterum sumam eam
Nemo tollit eam a me: sed ego po-
nam eam a me ipso. Potestatem ha-
beo ponendi eam: et potestatem habeo
iterum sumendi eam. Hoc mandatum
accepi a patre meo. Dissensio
inter eos facta est iterum in eos. Propter
sermones hos. Dicebant autem multi
ex ipsis. Demonium habet et insanit
quid eum audietis. Alii dicebant. Hi
verba non sunt demonium habentis
Numquid demonium potest caecorum
oculos aperire. Facta autem encenia
in hierosolimis: et hiems erat.
Et ambulabat iesus in templo in
porticu salomonis. Circumdederunt
ergo eum iudei: et dicebant ei Quous-
que animam nostram tollis. Si tu es
christus dic nobis palam. Respondit
eis iesus. Loquor vobis et non cre-
ditis. Opera quae ego facio in no
mine patris mei: haec testimonium
perhibent de me. Sed vos non creditis
quia non estis ex ouibus meis. Oves
meae vocem meam audiunt: et ego
cognosco eas et sequuntur me et ego
vitam aeternam do eis: et non peribunt
in aeternum: et non rapiet eas quis-
quam de manu mea. Pater meus
qui dedit mihi maius omnibus est
et nemo potest rapere de manu pa-
tris mei. Ego et pater vnum su-
mus. Sustulerunt lapides iudei
ut lapidarent eum. Respondit eis
iesus. Multa bona opera ostendi
vobis ex patre meo. Propter quod
eorum opus me lapidatis. Respo-
derunt ei iudei. De bono opere non
lapidamus te. sed de blasphemia
et quia tu homo cum sis: facis te
ipsum deum. Respondit eis iesus.
Nonne scriptum est in lege vestra quia
ego dixi dii estis. Si illos dixit
deos ad quos sermo dei factus est
et non potest solum scriptura: quem pa-
tr sanctificauit et misit in mundum
vos dicitis quia blasphemas qui
dixi filius dei sum. Si non facio opera
patris mei: nolite credere mihi
Si autem facio: et si mihi non vultis
credere operibus credite: ut cognoscatis
et credatis. quia in me est pater. et ego
in patre. Quaerebant ergo eum apprehendere
et exiuit de manibus eorum et abiit